



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

IX. Typhon idem ac Moses.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

## PROPOSITIO IV.

71

eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Sic apud Paulum: *Quicunque enim spiritu Dei agitantur, ii sunt filii Dei.* Quod & alibi pluribus inculcat. Qui autem prater pietatem manuetudine ac clementia praecellunt, ii praecepi quodam jure filii Dei dicuntur. Auctor Christus apud Matthæum: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur:* & paulo post: *Ego autem dico vobis, Diligitе inimicos vestros, benefacite his qui ederunt vos, & orate pro persequentiibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in celis est.* Insignis autem Mosis lenitudo praedicatur in libro Numerorum: *Erat enim Moyses vir misericordissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* Vulcanum ardentem esse sciscit Ægyptiorum Theologia, ut auctor est Horus Apollo; quod & de Baccho, qui Mosis itidem typus fuit, dictum fuisse supra docimus. Juno se Vulcani filii deformitatem & claudicatione offendit, cum debilem eum & loriopedem inter Deos peperisset, de celo precipitasse; hunc vero Thetidis, ipsiusque sororum beneficio suscepit & servatum fuisse narrat apud Homerum, Hymno in Apollinem: quem Hymnum esse Homeri auctore Thucydide probare possumus. Sed & primo Iliados Vulcanus ipse se à Jove de celo deturbatum affirmit. A Moysi quoque fabula isthac profluit, qui consenso monte Sinai, post mansioem illic diutinam, & longa cum Deo colloquia, in cœlum abiisse creditus, tandem velut cœlo delapsus, ex insperato apparuit. Vel potius claudicatione Vulcani notatur dubitatio illa & hæritatio Mosis ad Aquas contradictionis, qua offensus Deus Terra promisæ ingressu hunc prohibuit. Clauditas enim illa symbolum est & nota hominis *εὐδιάλογος οὐτανομούσος.* Quamobrem Elias, Israëlitæ Deum inter & Baal ancipites & incertos, his incertis verbis: *Uisquequo claudicatis in duas partes: si Dominus est Deus, sequimini eum;* *Reg. 18. 21.* *Si autem Baal, sequimini illum.* Eadem notio est locutionis hujus ex Epistola ad Ebraeos: *Ebr. 11. 13.* *Gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.* Primum in Ægypto regnasse Vulcanum narrat Diodorus; Cicero custodem Ægypti fuisse Stephanus, & Eustathius de Vulcani nomine Ægyptum *ηφαεν* esse dictam: nempe quod Ægyptum Mosis servaverit, tum cum Æthiopas Ægypto imminentes armis domuit, ut refert Josephus. Vulcanus uxorem duxit Venerem, quam Sephoram esse Mosis uxorem infra ostendemus. Totius Ægyptiorum philosophie auctorem esse Vulcanum Laertius docuit; quod rerum origines, & mundi principia luculentis scriptis Moysi tradiderit. Diodorus, propter repertum ignem, primum Vulcanum Ægypti regnum tenuisse commemorat; cuius etiam beneficii gratia Vulcanalibus *λαγυπαδηνοί εἰσιν,* five Lampadis certamen in Ceramicō celebrabant Athenies. Inde & confatum ipsi nomen: nam *ηφαεν* est *πατέρας οἴκων,* *Pater ignis,* juxta Bochartum, non *πατέρα οἴκων,* quod vult Cornutus. Inde etiam perpetuus ignis à Siculis alebatur in Ætna Vulcani Templo, cui custodes additi sunt sacri canes, blandientes piis hominibus, in impios ferocientes. Hæc quam Mosis convenient, ex superioribus sati liquevit, in quibus declaravimus cur Bacchus *λαμπτήρ,* & *θάνατος* dictus sit. Canum vero custodia Templo apposita, originem trahere videtur à Calebo; ad lufrandam Terram Chanaanæam cum aliis missis, & officio gnavariter ac fideliter functo, quem servum suum Deus idcirco agnosceret & appellat. Caleb autem, ut sepius jam dixi, Ebraice canem sonat. Eamdem ob caussam fabulati sunt Veteres, canem vivum ex ære à Vulcano fuisse fabrefactum, & ita ab arte comparatum, ut nulla eum oblata præda effugeret, & Jovi dono datum. Nec enim ignis solum, sed & præclarorum operum, & artium præcipue omnium quæ per ignem exercentur, inventio Vulcano tributa est: cuius figmenti caussas supra attulimus, cum quereremus cur Mercurio rerum omnium inventionem Ægyptii adscripserint. Arma Jovi aduersus Gigantes formasse & subministrasse dictus est Vulcanus, quod ad Mosis preces Core, Dathan, & Abiron, aliorumque seditionis oratione impetraret. Deus ultius sit, vel quod ejus duetu ac consiliis populus Dei filios Enac, robustissimam ac procerissimam gentem subegent. Pandoram ornatisissimam feminam, malorum omnium inter homines auctorem, è luto Vulcanus finxit fertur; quod Evam, & illatam humano generi ab Eva perniciem Moses posterorum memoria commendarit. Quod vero mirabilem Dei in creando orbe prudentiam, artem, & consilium Moysi scriptis celebraverit, idcirco dictus est Vulcanus Jovi, Minervam è capite parienti, obstetricis officium prestitissime. Diis in cœlo domos exstruxisse fertur Vulcanus, & homines quoque in antris prius habitantes domorum ædificandarum & incolendarum rationem docuisse: Deo quippe Tabernaculum erexit Moses; & Israëlitæ exulibus, & ad alienum arbitrium viventibus certos lares, propriasque domos quæsivit.

IX. At non omnes Ægyptii vi veritatis ac detrimentis suis convicti Mosi debitis laudes tribuerunt, sed refractarii plerique & pertinaces mitem in eum & placiti ac Moses.

## PROPOSITIO IV.

72

dum animis numquam sumferunt; & dum ab his Adonidis, Theuthi, Osiridis, aut Vulcani appellationibus honestabatur & titulis, Typhonis contumelioso nomine ab illis infamabatur. Verustum quippe hunc Typhonem Ägyptiorum commentis celebratum, & maledictis proscissum, ipsum esse Mosem, ex lectione libelli Plutarchi De Isi-  
de & Osiride deprehenditur. Probarem id pluribus, nisi instituta nuper Bocharto,  
viro doctrinæ singularis, rei hujus demonstratio similem nobis operam eximeret. Ty-  
phonem autem, quem contumelias saepe afficiunt Ägyptii, eundem sacrificiis pla-  
cant aliquando, περιπολοῦσσι θυαις, καὶ περιτύνουσι, inquit Plutarchus. Quod Typhoni  
ergo, qui Moses est, præstabant Ägyptii, cultum nimurum & sacrificia, idem Moses,  
sub Osiridis, alterius persona præstans nihil mirum est.

Boch. Hieroz.  
Part. 1. libr. 2.  
cap. 34.

Plut. De Isid.  
& Osir.

Probatur Vt-  
erum testi-  
monis Mo-  
sem ab Ägy-  
ptiis Deum  
fuisse habi-  
tum.

Exod. 7. 1.  
Joseph. libr. 1.  
contr. Apion.  
& Antig. libr. 3.  
cap. 13.

Euseb. Prep.  
Evang. libr. 9.

Diod. libr. 1.  
Herod. libr. 2.  
cap. 49.

Refillitur  
Simplicius  
Mosaica do-  
ctrina origi-  
nem ad Ä-  
gyptios refe-  
rens.  
Simplic. in  
libr. 3. Physic.  
Sect. 11.

X. Liquet ex superioribus de nihilo esse quod objicit Bochartus, verisimile non  
esse Mosem, Ägyptius & Phoenicibus odiosum, pro Deo benefico ab illis fuisse habi-  
tum: credibilis quippe est timorem ab Ägyptiis plerique, religiosum hunc erga Mo-  
sem cultum primo expressum. *Primus in orbe Deus fecit timor*, ait Ethnici Poëta.  
Alios autem probabile est, quem vivum oderant, extinctum amavisse, & meritis hono-  
ribus coluisse; sopita & sedata per mortem invidia. Testis Cyrilus, qui virtutem  
Mosis, & mirabilem sapientiam summam apud Ägyptios admirationi fuisse non semel  
asseverat; quique non Judæos solum, quod & Justinus confirmat, sed aliquos etiam  
ex Ägyptiis Dei nomine Mosem affectissime scribit, gnos fortasse hæc ipsi Deum di-  
sisse: *Ecce dedi te Deum pharaoni*. Testis & Josephus, qui Mosem ait ab Ägyptiis ita  
mirabilem & divinum existimari, ut eum sibi vindicent, ac Heliopolitanum fuisse fin-  
gant. Idem in fine libri tertii ἀρχαιοτητας tradit Mosem, propter leges latas, qui-  
bus tantum inesse videbatur divinitatis, sua ipsius natura majorē fuisse existimatum.  
Quid quod Artapanus apud Eusebium, & Auctor Hypomnematis in Hexaëmeron,  
quod Euostathio Antiocheno adscribitur, & Cedrenus, Mosem etiam in vivis agen-  
tem, Deum ab Ägyptiis habitum fuisse narrant? Prona sane erat illa gens ad ea in-  
ter Deos adscribenda, qua sibi utilia vel damno sentiebat, velut Solem & serpen-  
tes, *omnigenimque Deum monstra*. Quod & à Persis Oromaffen & Arimanium colen-  
tibus, aliisque gentibus plurimis factum legimus. Neque vero putandum est ab Ägy-  
ptiis esse profectum, quicquid in Bacchi, & Mercurii historia Gracia mendax auffa-  
est: quamvis enim διονυσοῦ τελεταῖα, & φωλαφεῖα, & Mercurii fabulam ad  
Greco transfluerit, sive Cadmus Ägyptius Thebaeus, ut vult Diodorus, sive Or-  
pheus, ut idem statuit, sive Melampus Amythaonis filius, ut habet Herodotus, ve-  
risimile tamen est Gracos eas coloribus suis, & multiplice eventorum figmento pro-  
confutudine exornasse.

XI. Praclare etiam ex iis quæ diximus intelligitur, quam temere & impudenter  
affirmaverit Simplicius, adversus Johannem Philoponum disputans, quæ à Mose de  
rerum creatione tradita sunt, esse fabulosa, & ex fabulis Ägyptiorum expresa.  
Quod contra est, cum ex divina Mosis doctrina Theologiam suam adornasse Ägy-  
ptios satis clare superiora demonstrent. Nempe animis multorum infederat falsa hæc  
opinio, Ebraeos Ägyptiorum esse progeniem, quam Scriptores Ethnici complures in  
libros suos retulerunt. Ergo verisimile his factum est, avorum Ägyptiorum doctrinam  
retinuisse nepotes Judæos. Verum si Ebraicarum rerum, & præfæ historiæ consultiores  
fuerint, intellexissent utique toto celo discrepare Ebraicam Theologiam, & Ägy-  
ptiam; & Ebraeos oriundo Chaldaeos fuisse, non Ägyptios.

## CAPUT QUINTUM.

I. *Ex libris Mosis fluxit præsca Persarum religio. II.*  
*Zoroastres idem ac Mosis.*

Ex libris  
Mosis fluxit  
præsca Persa-  
rum religio.  
Zoroastres  
idem ac Mo-  
ses.

I. Indidem quoque è libris Mosis præsca fluxit Persarum religio, quam hodie-  
que aliqua ex parte retinent plerique Persidis incolæ, Arabes etiam nonnulli,  
& qui è Perside in Indiam paulopost Jesdegirdis tempora à Muhammedanis expulsi  
profugerunt. Quoniam autem jam inde à primis Reipublicæ Christianæ temporibus  
Persidem, totumque Orientem pervasis Christi religio, quæ Mosis Mosaiceque do-  
ctrinæ notitiam, partim fragmentis his in locis dissimulatam emendavit, partim obsole-  
tam vetustate renovavit, magna cautione præsca veterum Persarum dogmata à recenti-  
oribus seponenda & dijudicanda sunt. Nam quod Deum unicum, æternum, im-  
mensum agnoscunt, quod mundum à Deo conditum non aliter narrant ac Moses;  
quod Deum post singulorum dierum opus, quietis caussa cessasse volunt, quod pri-  
mos